


**05  
A  
2315**



2

POSTERIOR  
*de*  
ORIGINE  
**ANIMÆ HUMANÆ,**  
contra  
**CREATIONIS DEFENSORES,**  
*Pro*  
TRADUCE  
**DISPUTATIO PHYSICA,**

*quam,*  
Glorioso Numine annuente ,  
Publicæ Doctorum ventilationi sistunt

P R A E S E S

**M. GEORGIUS CASPAR. KIRCHMAIER,**  
Uffenhem- Francus,

&

R E S P O N D E N S

**JOHANNES LUDOVICUS HARTMANNUS,**  
Rotenburgo- Tuberanus ,

*Ad diem XI. Septembr. Hor. Pomerid.*


*In auditorio Philosophorum ,*

ANNO quo

CVM Deo gloriösiori  
Francofurtia ad Mœniliittoram  
Leopoldi Imperator eligitvr.


---

WITTEBERGÆ,  
Typis MICHAELIS Wendt.





## PROLOGUS.



Edre dignum, *Julij Cæsaris Scaligeri*, Viri in tantum magni, in quantum Virtus, Eruditio, & Natalium splendor intelligi à quoquam possunt, dictum est: *nos in luce rerum tenui caligamus, in mediocri cœcutimus, in majore cœci sumus, in maxima insanimus.* Tenuis rerum lux est, quæ ipsis obvia sensibus est. At in hâc caligamus, incerti quâ & quò eundum. Quid lapide tritus? Quid obvium magis? At naturam hujus, vel vilissimi, ad unguem scire nemo valuit unquam. *Nomina tu lapidis, qui quotidie tuis oculis obversatur, formam, & Phyllida solus habeto.* Nego tibi ullam formam nobis notam plenè & planè, exclamat idem subtilitatum Magister alibi. Mediocris rerum lux est, quæ à sensuum ministerio non remota duntaxat est, sed egregiè eos adhuc ludit & deludit. Hinc illæ lacrymæ, hinc tot opinionum monstra, ut non abs re Lugentem Physicam jam pridem introduxit fidelissimus *Natura & Interpres SPERLINGIUS*. Major rerum lux est, cùm utendum ratione est. Quoad hanc verò quam frequenter cœci sumus? Et tunc vel maximè, cùm oculati esse aut videmur, aut nolumq. Latebant multa retrò secula abstrusi animarum natales, ac nescio, quantis res isthæc im-

A 2

mersa

mersa fuerit tenebris. Affulsit hac nostrâ ætate,  
(unde non ferreo planè seculo nos natos auguramur) Phœbeum jubar obscuritati, & veritatis radii, ad  
pertinaciam usq; plerorumq; lumina perstrinxerunt,  
ut lucem refugi, excoecentur nycticoraces. Hinc in-  
sultus, hinc tumultus. Sed solem cœlo illi, non  
credo, deturbabunt. Ringantur licet, &, ut ilia rum-  
pantur, despument iras. Lux rerum maxima est,  
cùm & sensus, & ratio nos destituere quodammodo  
videntur. Et tum insanimus. Unde non perfuncto-  
riæ in optimo quoq; exsurgunt dubitationes. Adeò  
divinum quid est, SEIPSUM COGNOVISSE.  
Hic ita utendum ratione est, ut nec abutamur, nec  
non utamur. Nostra verò in studiis peregrinatio  
cùm miserabilis, dicente literarum Heroë Scaligero,  
sine supernâ luce, erratio sit, gloriosum in alto  
Deum, ut veritatem astruamus, falsitatem destrua-  
mus, devotis solicitamus votis!

### THEOREMA POSITIVUM.

*Anima Humana per Traducem ab utroq;  
Parente παρέστως ac univocè, vi primævæ  
benedictionis & singularis Dei ordina-  
tionis, in momento, indivisibiliter, tota  
à Patre, tota à Matre, sine compo-  
sitione tamen, aut pluralitatis metu, IN,  
CUM, & sub semine fœcundo, mixto,  
& retento generatur atq; propagatur.*

§. I. In-

§. 1. Insipiunt; qui, ut sapere præ cæteris videantur,  
malunt obscuram subtilitatem, quām veritatem simplicem.  
Simplex enim veritas est, fuso carens, & figuris. O si non  
necessaria dedidicissemus, & didicissemus necessaria scitu.  
Nuncium supervacaneis mitteremus tricis: nec addicte phi-  
losopharemur, & in explicabiles è materia eductiones defen-  
deremus ad personam. Est antehac ars longa, vita verò bre-  
vis. Verum, veram, ô Viri optimi, alto Democriti fonte re-  
conditum investigemus, ipsā rei difficultate sat negotii nobis  
fasseſſente. Nos ſemotā vanitate, nudam contemplaturi ſumus  
veritatem, tanto amabiliorē, quanto exitiosior evadit per-  
ſonata. Ubi quid per ſingula intellectum velimus verba, ſe-  
quentia, (quandoquidē ad meliorem rei explanationem faciūra  
vſdebuntur,) annotaturi ſumus.

§. 2. Ac primō quidem unicuiq;, nobis nihil horum  
etiam monentibus, patere cūm potest, tūm debet, non hīc  
ſermonem eſſe de ſtatu naturæ instituendæ, ſed institutæ: de via  
generatiōnis, creationem ſubſecutæ, non creatione ipsā. Fruſtra-  
buntur itaq;, quorquot argumentaturi cum Non-nemine ſunt:  
Qualis in Adamo atq; Evā producendarum animarum ratio  
eſt, talis, propter Symmetriam universi, in reliquorum quo-  
que omniū eti: In hiſ enim Deus ſpecimen edidit, quid  
in aliorum hominum productione facturus eſſet perpetuò.  
At anima Adāmi atq; Evæ creabatur. Igitur &c. Neg-  
amus enim conſequentiā majoris, & niſi emunctiores ante  
odorarentur nares, intorqueremus, dicto ocyūs, de corpore  
Adāmī, arietem instantiarum. Distingvant itaque inter  
diversos ſtatus, naturæ videlicet instituendæ, ejusdemque  
jam institutæ. Niſi cœlum terræ miſcere giganteo niſu ſata-  
gant. Adhæc, quis facundior illos eò adegit genius, ut cre-  
derent, animam Evæ creatam pariter fuiffe, ac Adāmi? Tra-  
ductam dixerim, non creatam. Nulla enim de creativâ in-  
ſpiratione animæ in corpus Evæ mentio fit in Pandectis ſacris.  
Animatam ex corpore Adāmi coſtam ſumpsiſſe Conditorem

Meletem.  
Volum. 1.  
Diss. VI.

A 3 opti-

optimum, & formasse ex eâ mulierem, afferitus, non inspirasse novam, æquè ac Adamo. Invertatur igitur, & pro animæ traductione, argumento ab exemplo Evæ petito concludatur.

§. 3. Ne verò offendiculo cuiquam Traducis vox sit, ad quam impeditus, non antiquiores duntaxat, sed & Recentissimos adhuc impingere, non sine admiratione deprehendimus: distingendum inter vocem Traducis strictè seu propriè; Et in ampliatione sive etiam Metaphorice acceptam. Juvabit hâc de re, felicissimè omnium formarum ortum explicantem *Incom-*

*Lib. I. Inst.* parabilem *SPERLINGIUM* audivisse. Ita Ille: est, inquit,

*Phys. c. 3.* Tradux in primâ significatione, propago, seu pars ab arbore

*q. 3.* secta & in alias arborem traducta. Species habet εὐφύειαν.

*Conf. Tract.* insitionem, & κροφταλισμὸν, inoculationem. Ibi surculus

*de Trad. c.* ab arbore avulsus, & prægnans: hic oculo prædicta fistula de-

*z. p. 7. 8.* glubitur, aliiq; arbori inseritur. Postmodùm verò, termino

ampliato, ab istâ primâ significatione ad multiplicationem quamvis formarum, traductio relata est. Non est ergò, ut frustaneas nobis affingant Dnn. Jenensium quidam absurditates.

*Explicantur, recteque accipiuntur vocabula, & concordabit*

*Sect. I. §. 9.* *scriptura.* Multò minus contradictionum, inconstantia è

*p. 9.* postulare Traducis assertores poterit Autor Traducis - non

*Conf. art. 4.* traducis. Rectius forsitan libri - non libri. Hinc ut suspectam

*§. 1. p. 81. &* vocem redderet: *Traducere*, ait, est *transducere*. Ergò non

*p. 87.* originem formarum notat. Traductio enim est entis &

existentis, non - entis enim nulla est passio. Ergò formæ sunt,

antequam sunt. Sed ô Phaëtonteos aurigas? Generationem

ut enervent, crassissimas imaginantur sibi traductions. For-

sitan carro aut currū transvehenda Patris in Filium propagan-

da anima erit? Distinguamus saltem inter primam vocis

impositionem, & subsequentem vocis ampliationem. Com-

municationem volumus non eam, quæ sit per μετέβασιν, &

in avulsi ab arbore surculi exemplo locum habet, sed quæ per

αλλοπάγησιν peragitur. Hâc enim communicans omnia sua

retinet,

retinet, & tamen sibi simile, si non numero, specie tamen, in altero producit. Quid? quod in Eductionem retorquere In tract. de idem nos quoq; valeamus. Placent verba B. SPERLINGII: Trad. c. 9.  
*Eductio non minus, quam traductio entis & existentis est.* Ergo p. 126.  
non exponit originem formarum. Gladius è vaginâ educendus inexsistat oporret, & tum non oritur, cum educitur. Eductione etiam unius ex alio in aliud eductionem notat. Non igitur originem formarum exprimit. Hoc si attendisset Autor nuperimmarum in *Dexterimi Naturae Interpretis* Cap. 3. q. 5. *Synopsin, Meditationum*, non eandem forsitan contradictionis §. 40. p. 90. crambem recoxisset. Ait enim: traductio ex naturâ suâ includit formarum in materia seu subjecto præsentiam & inexistenciam. Ergo traductio in ratione suâ formalis non includit formarum productionem. Nec potest eam includere, cum contradicatio sit, formam traducendam in materia præsentem esse. Sed o nullam contradictionem, quam conciliaturi sine Oedipo divinatore sumus. Quid amabò sibi hocce vult? Animam in traductione, aut post traductionem præsentem esse? Non id certè: animam sc. traducendam ante traductionem, præsentem esse. Factâ interim, & perfectâ, imò etiam instanti ipsâ generatione traducenda anima Alexandri, non ante generationem. Nullus ergo contradictionis metus. Mutato enim tertio, expirat contradicatio. Multò minus Tradux ita explicatus suave saltē ingenii humani figmentum est. Nisi forte etiam B. Lutherum, Philippum, Försterum, Franzium, Lyserum, Hunnium, Gerhardum, Meisnerum, Thummium, Hafenrefferum, Menzerum, Majorem, Misentam, Dnn. Dd. SCHARFIUM, CALOVIUM, Dannhauerum, Waltherum, Tarnovium, & quis omnes enumeret? Heroes literarum, Humanarum equè atq; Divinarum, Sapientiaq; ac Ecclesiæ per universam Europam meritissimos Antistites, inexcusabili, & propemodùm non sacrilego sermone, figmentorum Patronos proclamare quispiam temerariè præsumat.

§. 4. Cæ-



§. 4. Cæterum cùm ad modum propagandi animam  
humanam devoluti videamus, ab utroque Parente παρέστως  
ac univocè produci eam quis, nisi præjudiciis obsessus, in-  
ficias ire vellet? Non enim à solo Patre anima est, nec à solâ  
matre, alioquin respectus filii, vel ad Patrem, vel ad matrem  
expiraret. Sed ab utroque. Ab utroq; inquam, & æqua-  
liter quidem. Utriq; siquidem dictum à Conditore gloriose  
crescite & multiplicamini. Hinc uterq; Parens organa gene-  
randi: uterq; medium generandi (*semen nimirum*) uterque  
appetitum generandi (*quem frustrâ à natura inditum sine pos-  
sibilitate acquirendi finis, esse, cave dixeris:*) uterq; σογὴν illam  
naturalem & respectum Paternitatis obtinet. Asinus hīc  
nos informaret, *Cl. Hoffmannus* inquit. Rectissimè! Non  
enim deterioris conditionis animali bruto homines sunt.  
Hoc arduum igitur generationis opus, non, uti precariò sup-  
ponunt, in solâ animæ à DEO immediate creatæ unione cum  
corpore consistit. Rectissimè *Excell. SPERLINGIUS*:  
*formalis ratio generationis non tam in introductione, quam*  
*in productione formæ consistit.* Forma enim terminus ge-  
nerationis, hoc est, generatione producitur. Hoc si per-  
suaderi sibi paterentur Dnn. Jenensium Nonnulli, & ex Fœ-  
derato Belgio moderni pleriq;, (*quorum prolixè & nomina, &*  
*loca adduxisse parum juvabit,*) non solâ atq; unicâ animæ ad  
corpus unione generationem hominis absolvî, statuerent,  
parentesque causas morales filiorum esse, arbitrarentur.  
Demus quæsò, morales duntaxat filiorum causas Parentes es-  
se: quid subsequetur? Non revera generare parentes? Mo-  
ralem enim causam veram & propriè dictam causam non esse,  
ipsimet fatentur, *Francisc. Svarez, Scheiblerus, Gregor. de Valen-  
zia, Francisc. Abra de Racionis, Arriaga, Cl. Ebelius, ac Dn.  
Stahlius.* Quandoquidem imputative solummodo in esse  
causati influit, & per suammet entitatem nihili ad effectum  
confert. Quicquid sit de eo, quod prudentium more atque  
existimatione perinde habeatur, ac si Physica effectus causa  
esset, ceu loqui amat *Dn. Slevogt.* Si incendiarius activa  
passivis

Defens.

Synops. lib. I.

cap. 3. q. 5.

p. 306.

passivis applicans, ignem ædibus supponat, non essentia incendiarii influxit in combustionem, sed ignis. Tametsi justissimè ad pœnam trahatur, acoproprium id facinoris ei imputetur. Fiat ad negotium præsens applicatio, & facti patet ratio. Quis tandem cunq; generabit? Quid tandem cunq; generabitur? Tolluntur enim hoc modo causæ Physicæ principales ac univocæ Απάτως ergo filius erit. Αυτως erit. Et Pater vox, sine re nomen erit, sine mente sonus erit. Quoniam per te non communicat univocè generando animam, sed creandam creatamve nudè unit. Non igitur generabit filium, non producet hominem: cum nobiliorem hominis essentialiter specati partem communicare nequeat. Παράδοξον! At quid ωραδόξον? Ενδοξον illis est: δύσδεξις est, rectissimè inquit Dn. D. Dannhauerus. Nos nostro bono concludimus: Ubi cunq; datur generatio univoca, ibi anima producitur ab animâ ejusdem speciei. In generatione hominis datur generatio univoca. E. Majorem ἡλέκτρης ή συδωτας υέλης διαφεγγεται esse (liceat Luciani verba nostra facere) quis negaret? Minorem sana ratio dictabit.

§. 5. Tempus verò animæ, à Parentibus in filium propagandæ, quod concernit, nullum illud quidem esse agnoscimus. In momento enim generatur anima. Momentum autem tempus non est. In momento tota adest. Momentum est, quod homo oriatur. Momentaneum est, quod moriatur idem. Argutè & acutè subtilitatum Doctor Scaliger: illa Exerc. 290.  
non est subtilis hominis oratio: Dum res generatur, Neq; enim generatio est in tempore. Si generatio est formæ introductio, si forma, est indivisibilis. Verus Philosophus hujus verbi præsens tempus omnino segregat à Schola sua. Quamobrem nullus horæ, bidui, triduive succedaneus ad hoc opus animæ producendæ sacrum, requiritur motus. Spiritus enim anima nostrâs. Igitur indivisibilis. Producendus, sine morâ producitur. Introducendus sine morâ sine horâ introducitur: quicquid sit de actibus parascevasticis.

B

Dignum

Exerc. 290.  
sect. I.



Dignum hoc est momentum , quo de inquiratur curiosius .  
Deducet enim nos in rei , quæ non parvi est momenti , cognitionem . Potest quippe subtilitatis excitari ratio & interrogatio : quodnám , & quale sit istud momentaneum produci , momentaneum introduci ? Sítne ante actum generationis , an in ipso , vel post ipsum ? Prius nulli : Medium nos : Posterius plerique . Profectò non ante generationis actum adesse anima quit . Esset enim antequam esset . Αἴτων ! Et producenda esset , jam jam existens . Αἴλογον ! Acquisito enim fine , ratione causandi quid est opus ? Frustra est , qui agit actum . At quod frustra est , hoc ipso non est . Oportet igitur vel in ipso , vel post generationis actum , momentaneus animæ adventus concedatur . Post actum generationis à causis sociis susceptæ , animam humanam corpori uniri , ad hunc usq; diem defendunt in vicinia Nonnulli , in Bataviâ plerique . Mittamus nomina eorumdem . De re dispiciamus . Anima , ajunt , intellectiva maris unitur corpori circa diem 40 . fœminæ circa 80 . Alii aliter paulisper , scopo tamen non dispari . Creatur , ajunt , anima eo tempore , quo infans in utero moveri incipit . Age adeamus Hippocratem , &c , quando ille motus accidat , expiscemur . Respondet : in maribus nonagesimo , in fœminis centesimo vigesimo die post conceptiō nem fit . Ain tu superiora ? Neutiquam . Vecors isthac credat : non cordatus . Falsa nimirum est sententia illa , & absurdâ perquam . Primò enim causæ sociæ post congressum nil conferunt aut agunt amplius . Fit ergo in congresu , in societate , in conjunctione . Quis enim nostrum ignorat causas socias in societate & operari , & denominari tales ? Igitur in solo generationis & societatis actu producetur . Argumentamur : Si anima producenda est terminus generationis , & socialis istiusmodi actus , in ipso quoq; societatis actu , nec ante , nec post generabitur . Assumptum concedunt ipsimet . Connexionem propositionis negare non ausint , nisi ancipite terminorum sensu ludant . Intelligimus autem terminum non à quo , sed ad quem . Deinde est & alia propositio : Ubi , & quando cung

cunque dantur animæ operationes, ibi anima aetū adest. Εὐδηλον.  
In primis à conceptione diebus, septimanis, imò horis etiam, dantur  
animæ operationes. E. Minorem experientia probat, approbat  
Hippocrates, comprobat Platerus, nec improbat, quicunque  
quid sit anima, & quid contra misellum & imbelle accidens  
sit δυνάμεως πλαστικῆς ad substantiæ productionem nequa-  
quam sufficituræ, nōrit. Jucundissima lectu sunt, quæ ex  
Platero adducit Incomparabilis SPERLINGIUS, ad quem Defens. tr.  
Lecturum amandamus. Rationem quidem pro reculis suis, de orig. for-  
sed sine ratione promit Iacchæi Censor. Ait enim: sæpiissimè marum.c.7.  
fit congressus, ut nulla sequatur conceptio, nulla generatio. p. 158. seq.  
Subtile dictum! Quin similiter? Sæpiissimè concionatur  
Pastor, disputat Antagonista, aliquis, ut nullus sequatur fructus.  
Ergò nulla concio, nulla disputatio fructum concomitantem  
aut sequentem habet. Sed ad rem. Potestne Parens, cui  
sua interim explenda mortalitatis fata sunt, generare nihil  
minus? Αδύτων. At hoc bonâ fide ex hypotesibus illorum  
sequitur. Dicunt, Parentes generare. Quærimus quo  
modo? Respondent uniendo corpori animam. Quærimus  
quando? Respondent alii die vel 40. vel 80. alii 90. vel 120.  
post congressum. Quærimus ultra possitne parens suum, in  
interea temporis, obire diem? Non negabunt. Plures enim  
partus posthumus. Rectè versatissimus in natura Basso: ridicu-  
lum prorsus atq; insanum, rei mortuæ tribuere actionem. At,  
inquires, organa desunt primis à conceptione diebus. Quid  
tum? Organæ non ad essentiam, sed ad partes integrantes  
spectant. Ad actum secundum necessaria sunt: non ad pri-  
mum. Adebet illicet totus homo, essentialiter rectus & per-  
fectus. Mutilus & imperfectus quoad partes integrantes.  
Sive igitur triduanus, sive hebdomadarum, sive menstruus, sive  
bimestris, sive septimestris, sive octimestris post conceptionem  
factus sit: verus, totus, rectus & perfectus homo erit. Hinc  
quæcunq; aut occidit, aut formidine pœnæ, aut lasciviâ abigit  
meretricula fœtum, nihil aliud, quam homicidium com-  
mittit. Placent Illustris verba Scaligeri: animæ formatrici

Exerc. VI.

non sect. 8. 9.

non repugnat, quod non ad sint instrumenta. Non enim eget anima instrumento, sed ad qualitates secundas, qualitatibus utitur primis. Movet anima Spiritum (*b. e. calidum innatum, quod ipse Aristoteles trivium vocat*) sine instrumento, cum movemur. Homines ignavi, sensuum mancipia temerè instrumentum attribuunt tamen divinæ potestati.

§. 6. Hinc non potest non patere saniorib[us] indivisibiliter, sine ullius vel divisionis, vel cum semine decisionis suspicione multiplicari animam humanam. Spiritus enim est. Productionem momentaneam agnoscit. Ut propterea falsus sit Autor nuperimarum in *B. SPERLINGII Synopsin Meditationum*, inquiens: istæ animæ multiplicatio aut fit ante decisionem seminis, aut in decisione, aut post decisionem. Non ante desionem, nec post eam, nec in decisione quia (NB.) anima Patris generaret animam *ex semine* vel *ex substantia suâ*. Enimvero quis accutior talem animæ cum seminis decisione propagationem vult? Quis è semine vel è substantia Patris animam filii oriri statuit? Hæret! Hæret! Transeant sequelæ istæ per absurdæ. Nervosè cum aliis pluribus *Excellentiss. SPERLINGIUS*: non *ex semine* fit anima filii, nec *ex animâ*, sed *ab animâ* Parentum. Ex enim materia characterem designat, quemadmodum Ab Efficientis. Non absimiliter *Celeberrimus Theologus Dn. D. DORSCHEUS*: malè anima *ex semine* tanquam *ex materia* oriri dicitur. Brutorum animas *ex semine* oriri, etiam dici non potest. Seminando oriuntur & propagantur cum corpore, unde etiam anima generanda ab anima generantium. Ex benedictione divinâ *DEDUCITUR*, licet non *DECIDATUR*. Nam si decideretur, dividendo fieret generatio, quod sana Philosophia non admittit. Materiam in quâ largimur, materiam *ex qua*, nec nos admittimus, nec dabunt illi in æternum.

§. 7. Totam verò à Patre, totam similiter à matre, sine compositione tamen, aut pluralitatis metu produci animam, facile, si sequentibus adhibeatur fides, obtenturi sumus. Ni-  
mirum

In Auctar.  
Pentadecad.  
Dissert. 4.  
§. 46.

trifum Parentes in actu generationis sunt causæ sociæ. Hinc pro unâ stant. Hinc una etiam dicuntur caro. Quam animorum, animarum, corporumq; conjunctionem nemo hominum præsumat separare. Deinceps causæ sunt externæ. At hæ non componunt, cùm essentiam rei non ingrediantur. Sive ergò simplex, sive duplex illa sit efficiens compositionem nullam dabit. *Fax à duabus aut tribus accensa candelis, non magis est composita, quām quæ accenditur ab unâ.* Non magis composita Caini anima, à duobus producta architectis, quām Adami est, ab uno solo creatore gloriose creata. Non est compositior Diana, exstructa vel à duodeviginti artificibus, vel ab uno statuariorum absolutissimo, Phydiâ, exsculpta. Elaborent tres, septem, triginta calceum, non propterea, component magis, quām si duo unusve. Ab utroq; verò Parentum *næc j'os wç* produci animam, probatum efficaciter §. 4. est. Nolumus arare littus. Ineptiunt interim sic argumentantes: Si Pater totam filio communicat animam, & totam Mater, animâ spoliabuntur propriâ. Etenim sine intellectu sutela. Quasi formæ multiplicare se nequirent, nisi de suâ aliquid amitterent entitate. Quantò subtilius Scaliger: habemus, inquit, præ oculis exemplum, quemadmodum à lampadis flamma flamam excipimus, illâ nihilo seciùs integrâ manente. Ad hæc, distingvendum inter animam eandem numero, & eandem specie. Posterius volumus. De priori forsitan procederet sequela, sed nihil ad nos.

Exerc. VI.

Med. II.

§. 8 Denique quando IN, CUM, & SUB semine produci animam in frontispicio asseruimus, ne errori nos demus, præcavendum maturè est. Non vacat quippe ambiguitatibus vox seminis. Hinc jam animatum dici, citra ullam contradictionem posse, non est, quod vel neget, vel miretur Traducis- non Traducis Autor. Semen enim consideratur vel simpliciter ac ante generationem, cuius & materia est. Et hoc *animatum non est*: anima enim generationem sequitur. *Vel respectivè*, ubi itidem materia generationis est: respectu

B 3

nempe



nempe partium integrantium. Et hoc animatum est, obsessum  
à novâ hospitâ, partium corporis architectice. Hinc solemne  
illud: *anima actu est in semine: semen hoc post generationis*  
*actum animal est, homo est.* Quanquam partes integrantes  
elaborandæ adhuc restent. Essentia tamen tota adest.  
Dignissima notatu verba sunt, quæ adducit fidelissimus rei  
hujus Interpres *S P E R L I N G I U S:* præsupponendum est,  
inquit, non de quovis nos loqui semine, (1.) *in parentem*  
*prostatis herens semen in quæstionem hîc venit neutiquam.*  
*Neq; (2.) id, quod temere profunditur, huc quadrat.* Tunc  
enim non generat homo, tunc sese non multiplicat: fructum  
ergò generationis tunc sperare non licet. Neq; (3.) *citra*  
*causarum sociarum juncturam sequitur effectus.* Sed (4.) illud  
saltem animâ gaudere asserimus, quod *facta generatione, in*  
*utero benè disposito, hæret.* Ubi semina pura & fœcunda in  
uterum tanquam agrum feracissimum effunduntur. Post  
exquisite miscentur. Hinc retinentur. Osculum enim  
favisæ clauditur. Tandem uteri ingenitâ facultate susci-  
tantur. Ubi ne punto temporis natura quiescit. Sed  
secretiones, concretiones, & contractiones protinus magno  
molimine aggreditur. Hîc animæ esse, posse, operari. O  
naturæ Sapientiam! O præsentissimam, o ordinatissimam  
animæ præsentissimæ operationem, ac efficientiam! O con-  
cordantiam Traducis! Arrident maximoperè verba B.  
Thummii: *Omnes γνῶσις Lutheranos immotis argumentis tra-*  
*DVCeM stabILHsse.*

Stat nobis Veritas, stet Tibi Rerum Stator  
GLORIA!

F I N I S.

*Ad*

*Humanissimum*

**D N. R E S P O N D E N T E M ,**  
*Amicum meum.*

**G**loria Francorum terrarum climata replet,  
Et, donec fuerit, nescit in orbe mori.

Tu quoque Francorum, cum Praeside, sanguine natus  
Augebis Patrum tempus in omne decus:  
Id mihi testatur specimen, quod nobile ponis,  
Ut possis Cives exhilarare tuos.  
Perge tuum cœptum, pietatem pérge dietim;  
Nam studiis aderit dextera sancta tuis.

Michael Wendelerus,

D. & Prof. P.

---

*Ad*

*Doctissimum*

**D N. R E S P O N D E N T E M ,**

*Amicum atque Conterraneum  
per dilectum.*

**F**elices Animas! quibus est, cognoscere se se  
concessum: felix γνῶθι σεαυτὸν, id est.

O si me nōrim! si, quomodo natus, itemq;  
migraturus ab hinc sim, modò rite sciam!

Non est dignus Homo qui sit, nisi corpore spreto,  
hæc, quæ sunt animæ, curet & exutiat.

Hinc etiam multas debent, HARTMANNE perite,  
Cum votis, laudes, carmina nostra Tibi.

Dum mentem euras, Clari vestigia Patris  
molliter hand urges. Perge! brabea feres.

*amicā manū*

**P R A E S E S .**

*Ad*  
**Eximum ac præstantiss.**  
**Dn. Respondentem,**  
**Fautorem & Amicum meum**  
**honorandum.**

**R**es non exigui (*verum fateamur oportet*)  
nosse, est momenti, quæ sit origo anime.  
Ille polo labi blaterat conamine vano,  
atque DEUM formas usque creare probat.  
Viribus hic nimium fidens eductio quod sit  
humanæ formæ fons & origo, putat.  
Ait, HARTMANNE sagax (*medium tenuere beati*)  
incedis medio quam benè cautus agro.  
Atque doces animam traduci semine posse,  
ut verum à vero lumine lumen habet.  
Gratulor ex animo, studijs benedicat ab alto  
Jovis tuis, ferias vertice summa poli.

M. Johannes Preußer/  
Wittenberg.




05 A 2315 (1)



1077



**Farkarte #13**



POSTERIOR  
*de*  
ORIGINE  
**ANIMÆ HUMANÆ,**  
contra  
**CREATIONIS DEFENSORES,**  
*Pro*  
**DISPUTATIO PHYSICA,**  
*quam*  
Glorioso Numine annuente,  
Publicæ Doctorum ventilationi sistunt  
*P R A E S E S*  
**M. GEORGIUS CASPAR. KIRCHMAIER,**  
Uffenhem- Francus,  
&  
*R E S P O N D E N S*  
**JOHANNES LUDOVICUS HARTMANNUS,**  
Rotenburgo- Tuberanus,  
*Ad diem XI. Septembr. Hor. Pomerid.*  
*In auditorio Philosophorum,*  
*ANNO quo*  
**CVM Deo gloriolosiori**  
**FrancofVrtI aD MœnI Littora**  
**LeopoLDt IMPerator eLigItVr.**  

---

WITTEBERGÆ,  
*Typis MICHAELIS Wendl.*